

Martin Chemnitz

**PROPOSITIONES,|| DE PERSONA || ET BENEFICIIS FILII || DEI, DOMINI ET
REDEMPTO-||ris nostri Iesu Christi: de quibus pub=||licè, pro gradu Doctoris in
Theologia, dispu-||tabit ... M.|| MARTINVS KEMNICIVS, Super-||intendens
Ecclesiae Dei, in in-||clyta vrbe Saxoniae,|| BRVNSVIGA.|| DIE 28. IVNII.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1568


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880982918>

Druck Freier  Zugang



Mat. M. Kemnicus.

R. U. theol. 1568.



PROPOSITIONES,

DE PERSONA

ET BENEFICIIS FILII

DEI, DOMINI ET REDEMPTORIS
nostri Iesu Christi : de quibus publi-
cè, pro gradu Doctoris in Theologia, dispu-
tabit Reuerendus & Clarissimus vir, M.

MARTINVS KEMNICIVS, Super-
intendens Ecclesie Dei, in in-
clyta vrbe Saxonie,
BRVNSVIGA.



DIE 28. IUNII.

ROSTOCHII

Excudebat Iacobus Transylvanus.

ANNO MD LXVIII.

PROPOSITIONES

DE PERSONA

ET BENEFICII FILII

DE DOMINIO RECTORIS

IN NEPTI IUSTI GREGORII

DEI PATRIARCHAE

DEI PATRIARCHAE

DEI PATRIARCHAE

DEI PATRIARCHAE



ROSTOCHI

ANNO MDCLXXII

PROPOSITIONES.

DE QVIBVS PVBLICE
DISPVTABIT.

REVERANDVS VIR

D. Martinus Kemnicius,

Superintendens Ecclesie

ſie Brunſuui-
ceniſis.

I.



Fundamentum totius fidei
& Religionis Chriſtiane,
& ſalutis ac beatitudinis
noſtræ æternæ, vnicum &
immutum eſt, Vera Agnitio DEI &
Redemptoris noſtri IESV Chriſti.

II.

Fundamentum enim aliud nemo po-
nere poteſt, præter id quod poſitum
eſt, quod eſt IESVS Chriſtus. 1. Cor. 3.
& Ioh. 17. Hæc eſt vita æterna, vt

A 2 agnoſce

agnoscant te solum Verum Deum, &
quem misisti Iesum Christum.

III.

Prima igitur & summa omnium no-
strum, qui homines à DEO conditi &
per filium Dei redempti sumus, cura
& sollicitudo hæc esse debet: vt Deum
conditorem & Redemptorem nostrum
Iesum Christum, rectè agnoscamus &
celebremus, & verum de Deo testimo-
nium inter homines dicamus.

IIII.

Cum autè Deū rectè agnoscere & piè
colere nemo possit, nisi Deo ipso docen-
te: studiosè & attentè Filium Dei λόγος
in verbo suo nobis concionantem, &
nos de vera sui agnitione & æterna sa-
lute nostra erudientè audiamus: eumq;
ardentibus votis precemur, vt ipse nos
Spiritu sancto suo doceat, & Verè sa-
pientes. h. Deum rectè agnoscentes &
colen-

colentes efficiat. Nemo enim patrem
nouit nisi Filius, & quibus huius semina
noticia Filius ipse dedit. Matth. II.
& Iob. I. Deum nemo vidit unquam,
Filius, qui est in sinu patris, ipse enarra-
rauit.

V.
Etsi enim non modo pulcherrimū
hoc domicilium cæli & terræ, miranda
arte & pulchritudine ornatum, & to-
tius rerum naturæ ordo, verum etiam
noticia mentibus insita, esse Deum, te-
statur: tamen Trinitatem & discrimina
Personarum (quæ Deus vult
nota esse, vt solum Filium esse Media-
torem & victimam agnoscamus) &
voluntatem Dei in Euangelio reuelat
tam de reconciliatione propter Filium
Mediatorem, ex solo verbo DEI, per
Christum Ecclesiæ patefacto, disci ne-
cesse est.

A 3 Cum

Cū igitur humanæ mentes, propria acie
 et speculationibus quantumvis subtilibus
 et argutis, arcanam Dei naturam perue
 stigare & integrè comprehendere ne
 quaquã possint: rectissimū est, relictis
 curiosis & prophanis disputationibus
 quas sine modo in Theologia scholastica
 cumularunt, simplici fide tenere hanc
 summã doctrinã, quã de Essentia Dei
 & sancta Trinitate, reuelatam in ver
 bo Dei, nosse & credere omni homini
 Christiano ad salutem necessarium est:
 Vnum esse Deum, omnipotentem, eter
 num, veracem, bonum, iustum, miseri
 cordem, vindicem scelerum, patefactū
 in creatione mundi, & misso Filio Re
 demptore, & spiritu sanctificante, &c.
 Et tres esse verè distinctos Patrem,
 Filium, ac Spiritum sanctum: ac Pa
 trem esse Deum, Filium esse Deū, Spi
 ritum

ritum Sanctum esse Deum: nec tamen
tres esse Deos, sed vnum, sicut hæc omnia
illustribus verbi diuini testimonijs
tradita sunt, Quæ explicantes S. Pa-
tres dixerunt æternum Patrem, Filio-
um, & Spiritum sanctum esse tres per-
sonas, seu verè subsistentes, non confu-
sos, & singulares intelligentes, ^{quod} ^{omnibus}
vnius eiusdemq; diuinitatis.

VII.

Ideo enim patefecit se Deus certo
verbo & illustribus Testimonijs, &
trium personarum nomina & discrimina
ostendit, non vt de numero & na-
tura & modo generationis ac processio-
nis personarum, ociosè & curiosè, poti-
us quàm de singularum officijs & be-
neficijs, quæ in nos cumulatè effun-
dunt, piè cogitemus, sicut ipsa scriptura
nos non tantum speculatiuè, sed multo
magis practicè de æterni Patris, Filij,

Et Spiritus sancti diuinitate erudit.

VIII.

DEVM Patrem æternum nobis proponit, vt nos ab eo paterna beneuolentia propter Filium diligi, foueri, alii, defendi, Et omnibus bonis animæ Et corporis præsentibus Et æternis ornari statuamus: Et in omnibus ærumnis ac doloribus ad ipsum tanquam ad Patrem $\phi\lambda\delta\sigma\zeta\upsilon\upsilon$ confugientes, firma fiducia in ipso acquiescamus: sicut ea de $\epsilon\alpha\upsilon\sigma\alpha\sigma\zeta\upsilon\upsilon$ pectoribus parentum insitæ sunt, vt de Dei Patris amore ardenti erga Filium, Et erga nos, commones fieremus.

IX.

Proponit FILIUM Mediatorem, Et Redemptorem, ac victimam pro nobis factum, vt per eum ac propter eum remissio peccatorum, Et salus æterna nobis detur. Iubet hæc beneficia Filij ample

amplecti, & fiducia Filij Mediatoris
ad Patrem accedere, & ipsum Filium
Dei invocare, & ei confidere. Ita enim
verissimè ei honorem diuinitatis tri-
buimus.

X.

Sic Spiritum sanctum proponit scri-
ptura $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}\lambda\lambda\eta\lambda\omicron\upsilon\sigma$, doctorem, gubernan-
tem, erigentem & consolantem pios, &
iubet ardentibus votis hunc guber-
natorem expetere, & verbo Dei, per
quod est efficax Spiritus sanctus, nos
erudire, erigere, & consolari.

XI.

In hac consolatione, & viuificatio-
ne, & exercicijs Fidei ac inuocationis
quotidianæ, rectius agnoscentur tres
personæ, & Filij Dei, ac Spiritus san-
cti diuinitas, quàm in prophanis & cu-
riosis disputationibus, quæ tamen non
explicant arcanam naturam Dei.

A. 5. Senz

Semper itaq; in omni cogitatione de Deo, defixus sit animus in Christū ostendentē nobis æternum Patrem, seu in reuelationem Dei per Christum & verbum eius factam: et in considerationem iusticiæ ac misericordiæ Dei, in lege et Euangelio patefactæ: vt ad veram agnitionem & timorem iustissimæ iræ, et fiduciam misericordiæ propter Christum redemptorem promissæ, ad veram inuocationem, & gratitudinem pia mente, & voce, & totius vitæ obedientia cū voluntate Dei congruente præstandam, pectora nostra exuscitemus, & Deum assiduè precemur, vt illustrem lucem veræ agnitionis personæ & beneficiorum Filij Dei, & redemptoris nostri Iesu Christi, in qua totius nostræ salutis sudamēta præcipuè posita sunt, & ardentem grati pectoris motum in nobis accendat.

Hæc

XIII.

Hæc est vera & practica Dei no-
ticia, in verbo Dei mandata, ad quam,
omissis speculationibus & questionum
argutarum labyrinthis, Christianas
mentes adsuesieri vtilissimum est.

XIII.

Ita in personæ CHRISTI agnitio-
 ne pia, primum consideretur, Testimo-
 nium ingentis & inenarrabilis erga ge-
 nus humanum, amoris & misericordiæ
 Dei, omnium maximè illustre, esse mi-
 randam copulationem diuinæ & huma-
 næ naturæ in Filio Dei, Domino &
 redemptore nostro Iesu CHRISTO fa-
 ctam mirando consilio diuinitatis, vt
 naturam humanam, in initio diuinitati co-
 pulatam, & per peccatum à DEO au-
 uulsam, rursus DEO adglutinaret, re-
 demptam à Filio Dei, qui assumpta in-
 de massa, cognatam naturam seruaret.

Cum

XV.

Cum enim ordine iusticiæ diuinæ
 æterno & immutabili omnes creaturæ
 rationales, DEO conditori, vel ad præ-
 standam obedientiam integram, vel ad
 luendam pœnam sufficientem obligatæ
 sint: omnino Homines in peccatum la-
 psi in æternas pœnas abijciendi erant.

XVI.

Sed immensa bonitate & amore
 generis humani, filius Dei nostri miser-
 tus, pro nobis intercessit, ac vt iusticiæ
 Dei immutabili, non remittenti peccat-
 um sine compensatione sufficiente, sa-
 tisfieret: & generi humano cœlestis vi-
 ta & gloria amissa restitueretur: semet
 ipsum obtulit ad pœnam, & placationē
 iustissimæ iræ Dei, atq; ita mirando mi-
 sericordiæ & iusticiæ diuinæ tempera-
 mento factum est hoc decretum, vt se-
 cunda persona diuinitatis filius DEI

20703

Ad hoc æternus, perpetuo & indissolubili
fœdere naturam humanam in vni-
tem personæ suæ assumeret, eamq. suæ
diuinitati insertam, omnis suæ sapien-
tiæ, vitæ, potentiæ, maiestatis & gloriæ
participem redderet, & cum ea, ac per
eam omnia, quæ ad expiationem pecca-
torum et restitutionem iusticiæ et vitæ
æternæ nobis reddendæ pertinent, per-
ageret.

XVII.

Cum enim genus humanum peccas-
set: ordine iusticiæ hominem oportebat
pœnam sufficientem persolvere.

XVIII.

Ideo vt sustinere iram Dei, & pœ-
nam pro peccato, et satisfacere iusticiæ
Dei sua passione & morte, & victima
fieri Filius Dei posset: non exeruit in
his terris, ac profertim in passione, in-
tegram maiestatem & gloriam suam,
sed

sed semetipsum exinaniuit: ac ut ceteras huius miseræ & fragilis naturæ infirmitates, appetitiones, affectus, dolores, lachrymas, famem, sitim &c. solo peccato excepto, ita etiam mortalitatem assumpsit, ac ut ad Ebræos dicitur, particeps carnis et sanguinis factus est, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium. Item Non habemus Pontificem, qui non possit compati nostris infirmitatibus, sed tentatum per omnia secundum similitudinem, id est (prorsus eodem modo, quo nos tentamur) sine peccato.

XIX.

Ut autem sufficiens $\lambda\upsilon\sigma\pi\omicron\nu$ persolvere, & vincere peccatum et mortem, et ingredi in sanctum sanctorum, seu arcanum consilium diuinitatis, et inuocantium preces exaudire, & opem ferre inuocantibus, & lucem sapientiæ, iusticiam

¶

Et vitam æternam restituere hic pontifex posset: eundem verè & natura Deum esse oportuit.

XX.

Et quia per Filium Dei λόγος, qui est substantialis imago Patris, initio conditi eramus, & vitam ac lucem, quæ fuit imago Dei accepimus. Ioh. I. maxime congruebat sapientiæ Dei, ut idem verbum seu λογος Filius æterni patris per quem condiderat homines, mediator & redemptor noster fieret, qui deformatam imaginem instauraret & vitã ac lucem æternam nobis restitueret

Causa, quæ
re. & Filium
idem person.
div. oportu
tunc p. d. f.
tri.

XXI.

Has cãsas admirandæ copulationis duarum in filio Dei naturarum, piè, reuerenter et attentè considerare, et beneficia Christi Mediatoris, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iusticiam & salutem perpetuam grata mente

mente agnoscere, & fide amplecti, &
in omnibus vitæ consilijs, doloribus &
ærumnis, horum beneficiorum cogitati-
one & fide certa se consolari & susten-
tare. multò ad veram pietatem & agni-
tionem Christi, alendam et confirmandam
rectius & utilius est, quam de curiosis
questionibus, quales à sententiarijs in
tertio Longobardi cumulatae sunt, &
quales hoc tempore renouantur, rixari.

XXII.

Sed tamen, cum salutis nostræ ori-
go & basis sit, quòd Deus homo factus
est, & naturam humanam, anima &
corpore constantem, assumpsit (quam
personalem unionem diuinæ & huma-
næ naturæ in Scholis vocamus) reue-
renter & sobriè ea, quæ de modo huius
mirandæ unionis duarum in **CHRISTI**
persona naturarum, & communicatio-
ne Idiomatum, in verbo DEI tradita
sunt, recitabimus. Sunt

Sunt autem hæc testimonia scrip-
turae præcipua, quæ fontes & funda-
menta doctrinæ de vnione duarum in
Christo naturarū personali continent.

Iohan. 1. **VERBUM CARO FACTUM EST,** & habitauit in nobis.

.I. Æternus FILIVS DEI Homo factus est, seu humanam naturam, animam & corpus infirmum & mortale assumpsit, & habitat in assumpta humanitate, non ut in cæteris sanctis effectiue et separabiliter, sed ita, ut hæc anima & corpus, **VERBI** seu **Filiy Dei proprium corpus & anima sint,** cum quo in vnâ indiuiduam personam coalescit, & per quod omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, operatur.

Ebra. 2. Nam & sanctificans (Christus) & qui sanctificantur (homines) ex vno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare &c. Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque similiter particeps factus est eorum

B

de no

dem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium. Non enim Angelos (Angelicam naturam) assumpsit, sed semen Abrahæ (humanam naturam ex Abraham ortam) assumpsit, unde oportuit eum per omnia fratribus similem esse, ut fidelis pontifex ad expiandum peccata populi esset.

Philip. 2. CHRISTVS Iesus cum esset in forma DEI (verè & natura Deus) non rapinam duxit esse æqualem DEO (non rapuit nec exeruit diuinam potentiam, & maiestatem contra vocationem) sed ipse se inaniuit, formam serui sumens, similis hominibus factus, & figura iuuentus ut homo. Hanc assumptionem misera carnis et sanguinis nostri, Epistola Iohannis nominat, in carnem venire. 1. Iohan. 4. Omnis Spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, non est ex Deo.

Sed illustriora, de duabus in Christo naturis, personaliter vutis, dicta sunt: Rom. 1. Filius Dei natus est ex semine Dauid secundum carnem, & certo declaratus est Filius Dei omnipotens,

tens, secundum Spiritum sanctificantē
ex eo, quod resurrexit ex mortuis.

Luc. 1. Quod ex te nascetur san-
ctum, Filius Dei vocabitur.

Galat. 4. Postquam expletum est
tempus definitum, misit Deus Filium
suum natum ex muliere.

Ephes. 4. Qui descendit Christus,
idem est ille, qui ascendit super omnes
caelos, ut omnia impleret.

Philip. 2. Dedit ei nomen, quod est
super omne nomen, ut in nomine I E-
S U omne genu flectatur, & omnis
lingua confiteatur, quod Dominus sit
Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.

Rom. 9. Ex quibus est Christus
secundum carnem, qui est super omnia
Deus benedictus in secula.

XXIII.

Hac scripturae Testimonia, ideo
recitamus, quia à DEO discendum est,

B 2 quid

quid de DEO sentiendum sit, qui non nisi se authore cognoscitur. Et pijs mentibus gratum & iucundum est, fundamenta & confirmationes omnium articulorum doctrinae in Ecclesia Christi sonantis, ex ipsis verbi à Deo traditi fontibus, non ex humanorum commentariorum riuilis, haurire.

XXV.

His itaq; verbi diuini testimonijs confirmati, credimus et confitemur cum S. Athanasio, quòd Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, verus Deus & homo sit. Deus ex substantia patris ante secula genitus, Et homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen

men

men, sed vnus est Christus. Nam sicut
anima rationalis & caro, vnus est ho-
mo, ita Deus & homo vnus est Christus

XXVI.

Hac enim similitudine vnionis A-
nimæ & corporis humani vsa est tota
vetustas. Quam eo etiam consilio diui-
nitus in natura factam esse consentane-
um est, vt aliquanto propius miranda
copulatio diuinæ & humanæ in Christo
naturæ à nobis aspici, et intelligi aliquo
modo posset. Quæ quidē multò illustrior
similitudo est, quā vnio materiæ & for-
mæ: vel spiritus visui, qui est flamma-
la, & humoris crystallini in oculo: vel
subiecti sustinētis accidētia: vel surculi
insiti trunco: vel fumi inflammati: &c.
quibus hanc admirandam & arctissimam
coniunctionem adumbrare quidam
conantur.

XXVII.

Est & altera imago illustris, & ad

B 3 mo

modum communicationis Idiomatū, & arētissimæ unionis καὶ περιχωρήσεως λόγῳ totam naturam assumptam immeantis, vt Damascenus loquitur, perspicue declarandum accomodata, de FERRO IGNITO, in quo duæ diuersæ naturæ, ignis & ferrum, ita coniunguntur & vniuntur, vt ignis totū ferrū penetret, & vndiq; ei misceatur, & suas vires ac proprietates urendi et lucem præbendi, Ferro verè & reipsa communicet.

XXVIII.

Facta est enim unio duarum in Christo naturarū, non trasmutatis aut corruptis naturis, vt Elementa in mixtis vniuntur, nec per conuersionem, nec κατὰ κράσιν, ἢ φύσιν, ἢ συγχύσιν, ἢ συναθροισµου, ἢ προσθεσιν, ἢ χέσιν, ἢ κατὰ ἀξίαν. &c. in quibus modis omnibus, compositū, nulli eorum ex quibus componitur, consubstantialiale est, nec appellatione eorū retinet: præ

præterea $\nu\acute{o}$ κατὰ οὐσίαν: sed κατὰ ὑπόστασιν,
ita ut ambæ in Christo naturæ, vnam
tantum personam seu unū indiuiduum
Christum constituent: sicut in Scholis
docent, naturam humanam à Filio Dei
assumi, non ad idē esse naturæ, sed ad
unū esse personæ. XXIX.

Nominamus enim personam vsitato
Ecclesiæ more, indiuiduum naturæ ra-
tionalis, quod per se unum, & ab omni-
bus alijs rebus distinctum ὑφίσταμενον,
non pluribus numero commune est. As-
sumpsit autem Filius Dei, non perso-
nam, sed naturam humanam, quia as-
sumendo animam & corpus vniuit, et
vniendo assumpsit. Ideoq; non duæ per-
sonæ, sed duæ naturæ, in vna Filij Dei
persona, ὑπόστασις vnitæ sunt.

XXX.

Propter hanc personalem et arctissimā
diuinæ & humanæ in Christo naturæ,
copula

copulationē: proprietates etiā omnes, et
actiones, ac passiones, quæ alteri tan-
tum naturæ originaliter congruunt, to-
ti personæ in concreto communicantur

XXXI.

Sicut tota sacra scriptura, proprietates
& actiones omnes, non singulis naturis
seorsim in abstracto, sed toti personæ
Fily DEi Iesu Christi in concreto tri-
buit.

XXXII.

Non enim societate tantum, seu
inhabitatione separabili, seu assisten-
tia, seu auxilio tantum, diuina natura,
CHRISTO Homini adsuit, & humanā
naturam assumpsit, ut in Psalmo di-
citur, Pater & mater dereliquerunt
me, Dominus autem assumpsit me: sed
Hypostatica seu personalis verbi & car-
nis unio facta est, ut sint unum ^{ἕν} ὄψις.
_{μ. ε. υ. ο. π.} Ut Cyrillus inquit: Cum senti-
mus, quod verbum caro factum sit, non
eodem

eodem modo, quo in sanctis habitare dicitur, & in Christo istam factam habitationem definimus, sed quod secundum naturam unitum, non tamen in carnem conuersum, talem fecerit cohabitationem, qualem & hominis anima cum proprio dicitur habere corpore.

XXXIII.

Hoc discrimen CHRISTI & cæterorum sanctorum, & Hypostaticæ unionis in Christo, & societatis seu in habitationis Dei in alijs sanctis, ut intelligi aliquo modo & conspici clarius possit: tradita est doctrina de communicatione Idiomatum, seu prædicatione proprietatum, quæ utriq; nature communiter, sed in concreto, seu persona, tribuuntur.

XXXIII.

Verissimæ enim sunt prædicationes, Filius Dei factus est homo: Deus

B 5 est

est Homo: Christus homo, est verè &
natura Deus: Filius hominis, est Filius
Dei viuentis: Homo Iesus Christus est
mediator Dei & hominum: Maria est
θεοτόκος. Deus Ecclesiam suo sanguine
redemit. Sanguis Iesu Christi filij Dei,
emundauit nos ab omni peccato. Deus
est passus, crucifixus, mortuus. Quia
persona, in qua vnione hypostatica na-
turae humanae vnita est diuina, patitur
& crucifigitur: seu, quia hæc persona,
quæ patitur, est Deus.

XXXV.

Sed cum Petrus, quem crastina die
29: Iunij Romæ sub Nerone crucifixū
esse scribunt, patitur: etsi DEUS ipsi
adest, & in eo habitat: tamen impro-
priè dico, Deum crucifixum esse. Quia
persona Petri, quæ supplicio afficitur,
non est DEVS: seu, quia in Petri
persona non est hypostati^{ca} humanae
natus

naturæ diuina vnita. Sed Christo pa-
tiente, patitur persona, quæ est Deus.

XXXVI.

Traditæ sunt igitur ab Antiquitate
Regulæ de communicatione Idioma-
tum, videlicet, Fontem communicatio-
nis Idiomatum esse vnionem hypostati-
cam diuinæ & humanæ naturæ, quæ
in secunda ex Trinitate persona ita
iunguntur, vt sint unum ὁφισαμενον, sic-
ut Anima & corpus humanum, vnâ
solummodo personam, seu ὁφισαμενον
completum constituunt.

XXXVII.

Ideo enim communicantur propieta-
tes, quia vna est persona. Ideo discer-
nuntur proprietates, quia naturæ ma-
nent inconfusæ, & tamen in segregaa-
biles.

XXXVIII.

Non enim tollit vnio, naturarum
diffea

differentiam, sed utraq; natura suam proprietatem essentialem, & ut sexta Synodus inquit, distinctam suam operationem retinuit.

XXXIX.

Etsi igitur actiones & passionis sunt personæ; tamen quælibet natura, quod proprium est, verum non sine alterius communione, operatur, ita ut Agens sit persona: Actiuum sit Natura: & omnes actiones sint totius personæ: sed tamen, quòd ad originem actionis attinet, secundum aliud & aliud.

XL.

Idiomata uero, & in his actiones ueniunt naturæ, non tribuuntur alteri naturæ in abstracto seu perse considerata, sed personæ communicantur in concreto, ut Theodoretus inquit: τὰ τῶν φύσεω ἰδίαι, κοινὰ τῶν προσώπων γεγενε.

LXI.

Sup

Supponunt enim, ut in scholis In-
quuntur, Nomina concreta, Deus, Ho-
mo, Dominus, λόγος, Christus, Ie-
sus &c. pro suppositis, seu personis, non
pro naturis.

XLII.

Diligentissime autem discrimen
seruandum est inter communicationem
Idiomatum naturæ superioris assumen-
tis, & Humanæ naturæ assumptæ: de
quo Damascenus inquit: Diuina natu-
ra proprias glorificationes carni tras-
dit. Ipsa verò manet expers passionum
carnis. Item in formula concordiæ Cy-
rilli & Pauli Emiseni, Deus verbum,
ea, quæ diuina sunt, contulit assumptæ
naturæ: eorum autem, quæ Humana
sunt, nihil accepit. Et ante hos Eusebia-
us lib. 4. Demonstr. Euangelicæ: λόγος
τὰ μὲν ἐξ αὐτοῦ μεταδίδως τῷ ἀνθρώπῳ: τὰ δὲ
ἐκ τοῦ θνητοῦ, μὴ ἀντιλαμβάνων, καὶ τῆς μὲν
ἐκ θεῶ δυνάμεως ἕως θνητῶ χορηγῶν, τῆς δὲ
ἐκ

ἐν τῷ θηκτῷ μεταβολῆς οὐκ ἀπομαρτυροῦμενο. *Item,*
Nazianzenus. Ἐν χριστῷ οὐκ ἔστιν ἄλλος πρὸ ἄλ-
λος: ἄλλο δὲ καὶ ἄλλο: ὡς τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ
ἐθεώθη. *Epiphanius,* Caro transformata
est in gloriam in coadunatione DEI
Verbi perfectionem Deitatis adqui-
rens. Quamvis enim proprietate natu-
ræ non habet potentiam operandi effi-
caciter divinè, illam tamen accipit per
unionem & ineffabilem concursum,
qui intelligitur Dei esse verbi cum hu-
manitate.

XLIII

Hæ sententiæ perspicue ostendunt,
diligentiſsimè Antiquitatem distinxis-
ſe inter communicationem Idiomatum
et infirmitatum ac passionum humanæ
naturæ, quas aſſumens Filius Dei non
mutatur, nec dignitate aut viribus ali-
isue donis augetur aut diminuitur: &
Idiomatum divinæ naturæ communi-
catio

cationem, qua Homini CHRISTO,
κατὰ περιχώρισιν, ut ignis ferrum pene-
trat, & undiq; in eo lucet, & per
donorum transfusionem, infinitæ vi-
res, potentia, maiestas, & gloria diui-
na, quam antè assumptionem non habu-
it, non verbotenus tantum, per Enalla-
gen, aut Allæosin, sed verè & re ipsa tri-
buuntur.

XLIII.

Id longa oratione multis in locis do-
cet Cyrillus: ac lib. 4. in Iohannem in-
quit: Non ad corruptibilem suam natu-
ram CARO iunctum Dei verbum de-
trahit, sed ipsa ad melioris virtutē ele-
uata est. Nam si mel, cum naturaliter
dulce sit, & dulcia facit, quibus immi-
scetur: nonne stultum erit, viuificam
verbi naturam non dedisse Homini, in
quo habitat, viuificandi virtutem.

Rectif=

Rectissime autem hæc $\theta\epsilon\iota\omega\mu\alpha\tau\alpha$, di-
 uinae naturæ propria, quæ Homini
 CHRISTO, supra omnes Angelos &
 Homines ceteros, communicata sunt,
 ex perspicuis Verbi diuini testimonijs
 discuntur. I. Col. 2. In Christo habi-
 tat omnis plenitudo diuinitatis $\sigma\omega\mu\alpha$
 $\tau\iota\kappa\omega\varsigma$. h. non effectiue tantum, sed ita vt
 sit vnum $\sigma\omega\mu\alpha$. vna persona. Matt.
 28. Tradita est mihi O M N I S P O-
 TESTAS in cælo & in terra. Et ecce
 ego vobiscum sum vsq; ad finem seculi.
 Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt
 à patre meo. Philip. 2. Dedit ei no-
 men, quod est super omne nomen, vt in
 nomine I E S U omne genu flectatur.
 Ephes. 1. Collocauit eum ad dexteram
 suam in cælis longe supra omnem prin-
 cipatum & potestatem, et omne nomen
 quod nominatur. Et omnia subiecit
 sub

sub pedibus eius. Ebre. 2. Per hoc quod
omnia ei subiecit, nihil omisit, quod non
esset ei subiectum. Iohan. 17. Dedisti
ei potestatem omnis carnis. Psal. 2.
Postula à me et dabo tibi gentes. Ebr. 1.
Consedit ad dexteram maiestatis in ex-
celsis. Ioh. 5. Pater dedit Filio habere
vitam in seipso, & potestatem dedit ei
iudicium faciendi, quia filius hominis
est. Ioha. 6. Caro Christi vivifica est.
Colos. 2. In Christo omnes Thesauri sa-
pientiae & scientiae reconditi sunt. 1. Cor.
1. Prædicamus Christum crucifixum, qui
factus est nobis sapientia à Deo, & ius-
ticia & sanctificatio & redemptio.
Eph. 1. In quo habemus redemptorem
per SANGVINEM IPSIUS, re-
missionem peccatorum. Rom 5. Iustifi-
cati per sanguinem ipsius. 1. Iohan. 1.
Sanguis Iesu Christi emundat nos ab
omni peccato. Luc. 2. Salvator nobis

C nas

natus est. Ephe. 4. Ascendit super omnes
caelos, ut omnia impleret. Mat. 18.
Ubiunq; duo aut tres congregati sunt
in nomine meo, in medio eorum sum. Io-
han. 3. Pater diligit filium & omnia
tradidit in manu eius.

XLVI.

Hæc ferè precipua Testimonia
sunt, de diuinæ naturæ Idiomatis, ho-
mini Christo communicatis: Quibus
non deleri humanam Christi naturam,
nec in diuinam mutari, nec prorsus
cum diuina exæquari docemus: sed per-
petuum discrimen diuinæ & æternæ
naturæ conditricis, et humanæ naturæ
conditæ, sed tamen per vnionem perso-
nalem & exaltationem ad dexteram
DEI super omnes Angelos & Homi-
nes euectæ, & maiestate, potentia &
gloria diuina ornata, seruamus.

Præte

XLVII.

Præterea re ipsa distinguimus articulos fidei nostræ, qui conceptus est, natus, passus, resuscitatus, ascendit in cælum &c. Et si enim totius maiestatis diuinæ particeps factus est Christus ab ipsa statim unione, tamen forma serui exinanientis se ipsum usq; ad mortem crucis, toto ferè tempore destinato mirandæ humiliationi Christi victimæ, tecta fuit. Eandem igitur in illa glorificatione & exaltatione ad dexteram patris accepit.

XLVIII.

Discernimus etiam appellationes, quæ naturas ipsas, vel essentielles & perpetuas earum proprietates significant, ab alijs temporarijs & pereuntibus Idiomatis, qualia sunt pati, mori, esurire, sitire, comedere, dormire, &c. quæ post hanc vitam cessabunt.

C 2 Discere

Discernimus à naturarum appellationibus, etiam officij nomina, quæ sunt Mediator, Redemptor, Rex, Sacerdos, Pastor, Propiciator, Iustificator, Saluator, quæ non humanæ tantum naturæ, sed Christo Deo & homini, secundum utramq; naturam competere, eorumq; considerationem in primis illustrare doctrinam de Filio Dei, & vtilem esse ad consolationem & ad invocationem, sentimus.

L.

Ideo enim in Christo miranda copulatio diuinæ & humanæ naturæ facta est, ut officio proprio Mediatoris, Sacerdotis & Salvatoris fungi posset, scilicet ingredi in sanctum sanctorum seu arcanum consilium diuinitatis, sua intercessionem & merito placare iram Dei aduersus genus humanum, patefacere

cere

cere hominibus arcanum decretum de
Redemptione: & non solum patiendo,
Verum etiam propria & diuina poten-
tia Vincere peccatum & mortem, & re-
stituere iusticiam & vitam, inspicere
gemitus & corda piorum, Vbiq; præsen-
tem defendere Ecclesiam, & inuocan-
tes exaudire, & æterna salute donare.

LI.

Nam propter nos homines & pro-
pter nostram salutem, Filius Dei homo
factus est, vt nos homines, Dei filios fa-
ceret: serui formam assumpsit, vt nos
seruos peccati liberaret: humiliavit se,
ut nos iacentes erigeret: vulneratus est,
ut vulnera nostra sanaret: mortuus est,
vt nobis mortuis immortalitatem &
vitam æternam restitueret.

LII.

Galat. 4. Postquam expletum est
tempus definitum, misit Deus Filium

C 3 suum

suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba Pater. Itaque non amplius est seruus, sed filius: quod si filius, etiam haeres Dei per Christum.

LIII.

Hæc eximia & immensa Christi beneficia offert & impertit nobis Deus per prædicationem EVANGELII, in qua omnibus hominibus, qui audita voce legis arguente & damnante peccatum, serio expauescunt & poenitent, hæc clementissima promissio annunciat, quod certo DEVS propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis mortuum & resuscitatum, & intercedentem ad dexteram Patris, gratuita bonitate & misericordia

cordia ipsis remissionem peccatorum,
iusticiam, Spiritum sanctum & vi-
tam eternam donet & largiatur.

LIIII.

Hæc Euangelij promissio, quæ præ-
cipua & propria Ecclesiæ Dei sapien-
tia est, accuratis & conspicuis limitibus
secerni debet à LEGE, quæ est
Doctrina à DEO tradita, discernens
recta & praua, & docens qualis sit
DEVS, & quales nos Homines esse
oporteat, flagitans perfectam cordis
obedientiam ac conformitatem cum
voluntate DEI sine vlla labe, & ar-
guens ac damnans eterna morte om-
nes Homines, non habentes perfectam
obedientiam, vt scriptum est : Male-
dictus omnis, qui non permanet in om-
nibus, quæ scripta sunt in lege.

E:si

LIV.

*Etsi autem Lex bona est legitime
vnti, & in Ecclesia Dei necessario
retinenda & docenda est, vt arguat
peccatum, & sit norma obedientia, seu
bonorum operum: tamen per legem nul-
lus iustificatur apud Deum.*

LVI.

*Nunc igitur sine lege Iusticia Dei
in Euangelio reuelata est, quæ est gra-
tuita remissio peccatorum nostrorum,
& imputatio iusticiae & receptio ad
vitam æternam, mera bonitate & mi-
sericordia DEI, sine vllis operibus le-
gis, propter vnicum & solum Mediato-
rem nostrum Iesum Christum credenti
donata.*

LVII.

*Cum igitur in veris & serijs dolo-
ribus & agone mortis, de peccatis no-
stris & iustificacione coram Deo angis-
mur*

mur: non in vllas virtutes aut opera nostra, sed in solum Filium Dei Redemptorem nostrum Iesum Christum, qui perfecte iustus & Deo gratus est, & peccata nostra in se deriuauit, & sua obedientia & morte pro nobis legi Dei satisfecit, oculos fidei defigamus. Propter huius mediatoris nostri intercessionem, obedientiam & satisfactionem, statuamus nobis peccata remitti, & nos in gratiã recipi, & hæredes vitæ æternæ reddi. Ita coràm Deo iusti & accepti efficimur.

LXIII.

Hæc Iusticia DEI à Paulo nominatur, non quòd ipsa DEI essentia sit, sed quòd à solo Deo detur, & sola coràm Deo valeat, & à solo CHRISTO Deo & Homine nobis confecta & donata: nec vlli homini natura nota, sed à Deo ipso in promissionibus patefacta sit.

LIX.

Iusticia autem Dei, per Solam Fide
in Iesum Christum obtinetur ab omnia
bus, qui credunt.

LX.

Nec tantum ratione Principij ius
tificamur fide: postea vero non sola fi
des, verum etiam dilectio, & cetera bo
na opera ad iusticiam & salutem neces
saria sunt: sed in principio, medio &
fine regenerationis & vitæ no
stræ, propter solum Christum, sola fide,
coram Deo iusti & accepti, & heredes
vitæ æternæ sumus & manemus.

LXI.

Est autem fides iustificans, lumen à Fi
lio Dei per Euangelion accensum, quo
Euangelion Christi & omne verbum
Dei nobis traditum cognoscimus, et fir
ma assensione amplectimur, & certo
credimus, nobis à Deo propter Christū
gras

gratis peccata nostra remitti, & vitā
eternam donari: Deumq; nobis propici
um patrē esse, & in omnibus ærumnis
& tentationibus firmo & læto corde in
Dei benevolentia & auxilio paterno
adquiescimus: nec dubitamus nos Deo
placere & acceptos esse propter Christū

LXII.

Hæc Fides verè est lumē vitæ, praxis
totius Theologiæ, mater & anima quo-
tidianæ inuocationis, spei, dilectionis,
pœnitentiæ, fons omnis veræ & efficaci-
s consolationis, vnicus murus & præsi-
diū firmissimum in omnibus ærumnis,
scaturigo omniū virtutum et bonorū ope-
rum Deo placentium, caput pietatis &
vitæ Christianæ, vnica manus, qua om-
nia bona à Deo oblata præhendimus et
amplectimur, sine qua nec quisquā Deo
placere, nec vlla virtus Deo placens ac-
cendi, nec iusticia & vita æterna acci-
piā nobis & retineri potest. Quas


Quare, ad hunc finem, totam doctrinam de persona & beneficijs Christi, hactenus expositam, & omnia cælestis doctrinæ studia referamus, ut Fidem in Christum veram, in nostris pectoribus exuscitemus, alamus, & confirmemus: qua illustrati læto & alacri corde & ore, in omnibus vitæ huius ærumnis, & in media morte, cum Paulo gloriamur: Si Deus pronobis, quis contra nos, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: Quomodo non cum eo omnia nobis donauerit. Quis nos separabit à caritate Christi, num adflictio, angustia? &c. Certo mihi persuasum est, quòd nec mors, nec vita, nec vlla creatura, poterit nos separare à caritate Dei, qua nos diligit in Christo IESU Domino nostro.


Ad

Ad hunc vsum doctrina de mi-
randa copulatione diuinæ & humanæ
in Christo naturæ, non ad inanem inge-
niorum curiositatem argutis disputa-
tionibus alendam, transferenda est: &
excitanda pectora ad seriam & arden-
tem gratiarum actionem, pia voce, &
vero corde, & totius vitæ obedientia
præstandam.

Tibi igitur Fili Dei, Domine Iesu
Christe, Emanuel, crucifixe pro nobis
et resuscitate, gratias agimus, quod in-
genti & inenarrabili erga nos amore
adductus, pro nobis apud æternum pa-
trem deprecatus es, & constitutus me-
diator & redemptor, copulasti tibi hu-
manam naturam, passus es pro nobis et
resurrexisti, ac redemisti nos: accendis
per ministerium Euangelij à te ex sinu
patris

patris prolati in nostris mentibus lu-
cem veræ agnitionis DEI, remittis no-
bis peccata, exaudis & iuuas inuocan-
tes, donas nobis iusticiam & vitam
eternam. Teoramus, CHRISTE,
Fili DEI viui, accende mentes no-
stras, vt beneficia tua, & mirandum
consilium de redemptione generis hu-
mani per tuam mortem, intelligamus,
& grati pio corde & voce, &
totius vitæ obedientia
celebremus.





est Homo
natura
Dei vi
mediato
θεογονος
redemit
emundat
est passus
persona
turæ hu
& cruci
que pati

Sed ca
29: Iunij
esse scrib
adest, &
priè dico
persona
non est
persona

homo, est verè &
hominis, est Filius
Iesus Christus est
unum: Maria est
sua suo sanguine
Christi filij Dei,
mi peccato. Deus
mortuus. Quia
hypostatica na
est diuina, patitur
quia hæc persona,
quem crastina die
Verone crucifixū
: etsi DEUS ipsi
tamen impro
ifixum esse. Quia
applicio afficitur,
seu, quia in Petri
stati^o humane
natus

093

UR Rostock

05/5000

the scale towards document